



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ascensus Moysis in montem Seu De Oratione Tractatus Tribus Stationibus ac vijs Purgatiua Illuminatiua Vnitiua distinctus**

**Crombecius, Johannes**

**Avdomari, 1618**

Paragraphus primus. Remediorum initium à medicis exquirendum esse.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38133**

## SECTIO TERTIA.

*De scrupulorum remedijs.*

*Scrupu-  
lorum  
causa.* I. **Q**uoniam ex diversis causis conscientiae errores nasci diximus, diversa quoque remedia applicare necesse erit. Et quidem inter primarias causas, naturae complexionem malignam, atque corporis intemperiem attulimus; in quibus exundet humor melancholicus, aut biliosus; aut accedat intempestiva tractandi corporis ratio rerumque agendarum indiscreta dispositio, ac regimen, aliarumque infirmitates; exploratum est, exiguam fore animo quietem, vehementiusque dictos humores in imaginationem non adeo firmam sevituros; ex quibus inquietudo, ac carnificina intolerabilis pullulabit. Utque hac de re meliori methodo tractemus; remediorum horum momenta in septem paragraphos partiemur.

## PARAGRAPHVS PRIMVS.

*Remediorum initium à medicis exquirendum esse.*

2. **E**rgo ante omnia, medicamenta corporalia huiuscemodi morbis praefcribenda erunt potius quam spiritualia. Ut

*animi*

enim spiritualis infirmitatis fundamentum  
 ac origo, ex corporalis infirmitatis fonte *Medico-*  
 procedit: ita quoque ad medicos potius cor- *corum o-*  
 porales, quorum est cognoscere ac discer- *pera scriu-*  
 nere de morbis corporalibus, hisce molestijs *pulosis ne-*  
 affecti comprimis remittendi erunt; quibus *cessaria,*  
 medicis, si pareant ipsi magnam morbi sa-  
 nandi partem assecuti videbuntur. Deo ipso  
 auctore qui mandat *honorandum medicum prop-*  
 ter necessitatem. Ecclesiasticus sane eiusdem *Ecccl. 38.*  
 spiritu ita præscribit. *Altissimus de terra creavit 4.*  
*medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illos.*  
 Etenim plerique hac infirmitate detenti, plus  
 æquo, iudicio; ne dicam imaginationi suæ  
 indulgentes, avelli non possunt, ab eo quod  
 semel conceperunt; medicamenta ac ratio-  
 nem victus, eam optimam esse statuentes,  
 quam ipsi sibi commenti sunt. Hi sanè insa-  
 nabiles remanent; quia in quo curationem  
 ordiri necesse esset, in eo ipso hallucinantur,  
 & in iudicij erronei scopulos impingunt.  
 Nullam moderationem servant: infirmita-  
 tibus suis alendis ac conservandis ansam  
 quam maximam præbentes: nunc immode-  
 ratis ieiunijs sese conficiunt: nunc cibis in-  
 gurgitant: illos cibos optimè sanitati qua-  
 drare reputantes, etsi nocivos, & planè bono  
 succo contrarios, quos inordinatus appetitus,  
 ac libido reposcit. Non frustrà ergo divina *Ecccl. 38.*  
 providentia de terra creavit medicamenta & vir 4.  
 prudens

*prudens non abhorrebit illa. Imprudens, & vitine seniu, abhorret; quia imaginationi non placet; quia palato non arridet: quia cum summo morbo laboret, eo ipso carere non vult, sed fovere, & in eo consensescere, ac potius gravia pati incommoda, quam cupitis atque irritatibus delicijs privari. Experientia tamen docuit, creata a Deo medicamēta, & inter cetera Rhabarbarum, ac caliam, ipsidem tam atram quam flavam bilem humano corpore excludi, sæpeque ad mentem redivisse, qui pane ab ipsa desciverant.*

3. Nolim tamen ipirituales homines anxie ac medicè vivere, horrere templa, nocturnas orationes, ieiunia, moderatas pœnitentias, cibos ordinarios ne valetudini suæ ob sint: sequantur ij sapientiorum iudicium, suum submittant; vt paucis; hæc ratio valetudinis conservandæ, quam dum varijs vel ciborum desiderijs labefactas; vel intempestivæ inediæ immoderatione destruis; in utraq; partem agitas animum, qui certè nunquam quiescet, donec ei acquiescas, qui tibi pro imperio modum potest præscribere.

PARAGRAPHVS